



# The Holy See

---

FRANCISCUS

## EPISTULA DATA

MARCELLO S.R.E. CARDINALI SEMERARO

*Venerabili Fratri Nostro*

*MARCELLO S.R.E. Cardinali SEMERARO*

*Praefecto Dicasterii de Causis Sanctorum*

Insignes profecto testificationes annorum progressu singularemque pietatem in Virginem Mariam tribuere consuesse in orbe terrarum fideles probe scimus. Id contingere terram Campaniae in dilecta Italia pro comperto habemus, ubi fidelium multitudo decurrit ad spectabile Mariale Sanctuarium Deiparae ab Arcu appellatae apud oppidum Sanctae Anastasiae, Neapolitana in provincia. Centesimus eventurus est et quinquagesimus annus ex quo tempore, die videlicet VIII mensis Septembris anno MDCCCLXXIV, Beatae Mariae Virginis imago aureo diademate redimita est ex voluntate beati Decessoris Nostri Pii IX. Hoc in Sanctuario sacra haec effigies piis obsequiis colitur et a sodalibus Ordinis Praedicatorum plus quam quattuor saeculis assidue custoditur.

His spectatis rebus, libentes volentesque Reverendi Patris Ioannis Pauli Pagano, O.P., Prioris et Rectoris clari Sanctuarii optatis subvenire cupimus, qui quaesivit ut Pater Purpuratus nominaretur et celebrationi CL anniversariae memoriae coronationis imaginis Deiparae Virginis ab Arcu sollemniter proxime agendae praeesset.

Nos permagna permoti animi affectione te, Venerabilis Frater Noster, qui singulare exerces munus Praefecti Dicasterii de Causis Sanctorum, destinare studemus ad dictam celebrationem, ut ritus ipse congrua sollemnitate evolvatur et pari dignitate absolvatur. Quocirca praestabilem simul aestimationem tibi significantes, his Litteris te MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM constituimus, ut eventui illi die VIII insequentis mensis Septembris celebrando praesis ipsamque vocem Nostram signifies.

Omnes quippe huius celebrationis participes adhortaberis ut, animis cum sanctissimi Redemptoris

animo coniunctis, universorum donorum ex intercessione Beatissimae Virginis Mariae a Deo Patre impetratorum plene sint consci eiaque ceteris impertienda possint conferre. Patrem Priorem Rectoremque Sanctuarii, omnes adstantes sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam. Oremus igitur et obsecremus hodie Virginem Mariam, ut nostrorum temporum omnibus nobis sinceram, fortē, inviolabilem impetret fidem, in obscuris et in dubiis patientem atque constantem, eam scilicet fidem, quam beatus Ioannes Apostolus nostram esse dicit victoriam, quae vincit mundum (Cfr 1 Io. 5, 4).

Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimus, quam item ad omnes congregatos volumus pertinere, a te et ab illis petentes auxilium precationum vestrarum pro officio Nostro Petrino prospere exercendo.

*Datum Romae, Laterani, die XV mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.*

FRANCISCUS